



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Cap. Gaudemus 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## In Cap. Gaudemus 8.

## SUMMARI A.

1. Infidelium altero converso matrimonium intra gradum prohibitum ante contractum non dissolvitur.
2. Matrimonium infidelium an Sacramentum?
3. Quid juris in pagano plures uxores habente converso.

**H**Oc Cap. consultus S. Pontif. utrum pagani, id est, infideles uxores accipientes, in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu, debeant post conversionem suam ad fidem Christianam simul remanere, vel à se mutuo separari? Rescribit eos minime à se invicem separari oportere, cum non minus inter infideles, quam fideles Sacramentum conjugii existat. Quod comprobatur auctoritate D. Pauli, 1. ad Corinth. 7, ubi his verbis inquit: *Si quis frater infidelem habet uxorem, & hac consensu habitare eum eo, non illam dimittat.*

Ratio verò dubitandi erat, quòd prohibitum sit matrimonium inter consanguineos intra quartum consanguinitatis gradum, *cap. Non debet sup. De consang. & affin.* Unde cum devenerit matrimonium infidelium in eum casum, à quo incipere non potuit, videbatur tale matrimonium ipso jure dirimi, *arg. §. item contra Instic. De inutil. stipul.* Cui occurrit hic Summus Pont. quòd, cum infideles non subjiçantur Canonicis constitutionibus, juxta illud D. Pauli, *Quid enim ad nos, qua foris sunt iudicare?* rectè contrahant matrimonium in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu, quorum prohibitio à jure Ecclesiastico introducta fuit, *d. c. Non debet.* Neque matrimonium propter subsequentem baptismum dirimitur, cum per baptismum non tollantur conjugia semel legitime contracta, sed crimina di-

mittantur. *text. hinc in verb. cum per Sacramentum Baptismi, &c.* Cujus quoque meminimus ad c. 4, *sup. De consang. & affin.* Nec obstat, quòd jam in eum casum matrimonium devenerit, à quo incipere non potuit; quia id locum non habet in matrimonio, propter favorem fidei Christianæ, *per hoc text.*

Cæterum quod dicit textus noster, Sacramentum conjugii tam apud infideles, quam fideles existere, accipiendum est quoad contractum matrimonii, qui non minus celebratur inter infideles; sed nequaquam uti Sacramentum, eo quòd Baptismo careant, qui est aliorum Sacramentorum fundamentum & janua, *c. 2, De cognat. spirit. lib. 6. & can. Cum itaque in fine de consecr. dist. 4.*

Quia nonnunquam pagani plures simul uxores habent, quid in his juris sit, si ad Christianam fidem convertantur, decidit hic similiter S. Pontif. quòd scilicet primæ uxori, aliis dimissis, adhærere cogantur. Cujus rationem hanc reddit, quòd scilicet ab initio, id est, in paradiso una constituta in unam faminam conversa sit, non verò in plures; & Scriptura divina testetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, nullâ mentione factâ plurium uxorum, *ut videre est Genes. c. 2, & Matth. 19.* Quod præceptum divinum non minus ad infideles, quam ad fideles pertinet, sicut constat *ex d. c. 19, in pr.* Exceptis tamen iis, quibus divinâ revelatione concessum erat, ut simul plures uxores habere potuerint, sicut constat in Abraham, Jacobo, aliisque Patriarchis veteris Testamenti, *text. hic in versic. nec illi umquam.* Quod cum singulare fuerit, & ex divina dispensatione contigerit, non est ab aliis in consequentiam trahendum, *c. Qua à jure communi De R. l. lib. 6.*

## In Cap. ultimum.

**I**n hoc Cap. prohibetur matrimonium cum vidua fratris sui defuncti, quia est ipsi in primo affinitatis gradu, nisi cum summi Pont. dispensatione, quemadmodum hic dispensat cum

Livonibus ad fidem Christianam conversis. De qua dispensatione fusillimè egimus ad *cap. 3, sup. De consang. & affinitate.*

Ggg 3

IN TIT.